

gnum: ideo ex genere Abrahae descendens Maria virgo Deum concipit, ut supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur.

S. OPTATUS Milevitanus (saec. IV)

SERMO DE EPIPHANIA

- 675 [...] Accepit et Christus aurum: honorificentia erat istorum, non avaritia illius. Mater gavisura erat de auro? Totum gaudium eius erat in Christo. PLS I, 298

IGNOTUS (saec. IV)

TRACTATUS IN LUCAE EVANGELIUM

- 676 Cap. I. [...] Elisabeth] occultabat se mensibus quinque donec PLS I, 330 descenderet in pueru anima, et Spiritu sancto confirmaretur. Agro virginus campus eius exemplo concipiendi roboraretur flore salutis. Occultabat se et erubescet, usquequo puer velut milex devotus saltaret ante caelestem imperatorem, et matrem suam matris Domini faceret laudatricem. Usque tunc abscondebat se. Postquam autem salutis progenies coepit virginis pubescere utero, et ad visitandum saeculum propinquare, gloriabantur dicens *quid mihi sic fecit Dominus?*¹ Non Zacharias, sed Dominus, quia a nullo humano adiutorio, sed divino beneficio gaudeo. [...]

- 677 [...] Qui habitat in adiutorium altissimi;² non ut adiubet patrem, sed ut adiubet mundum. Et, Iesu fili Dei Altissimi. Erubescat Paulus, Fotinus, et Ebion, quia quem Maria concepit et peperit, non Mariae est, et homo hominis filius; sed filius Altissimi vocabitur. Ecce vocabitur Altissimi filius. PLS I, 331

- 678 [...] Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quod vi-
rum non novi?³ Super naturam et substantiam extendis sermonem. PLS I, 332
Dictum tuum non solum me, sed totum mundum stupescere facit...

... mater; vivorum Deus pater. Non debet esse ante filium pater qui vitam filio dedit, et nihil accepit a filio? Sicut de illo filius gloriantur: *sicut pater habet vitam in se, sic et ego vivo propter patrem,*⁴ non pater propter me; et vos vivitis propter me. Et ne diceret sancta

¹ Le. I, 25.

² Ps. XC, 1.

³ Le. I, 34.

⁴ Io. V, 26 et VI, 58.